

*postmodum à Rege Daniae obtinentes possessuri sunt, secundum leges, ac jura sua componant, gubernentque. Hoc signatum ad aram anni MCCCXCI.*

Præfecti illius, cujus constituendi mentio hic fit, munus aliud non erat, quam ortas inter suos lites componere, seduloque providere, ne quid Amstelodamensium res ibi caperent detrimenti. Erant autem fere iis in locis, ubi peregrini frequentius agebant Advocati seu Præfecti duo; quorum ille, qui à peregrinis ipsis constitutus erat, eorum proprius, alter Regius, quod Regis nomine præesset vocabatur. Ad illum tamen non omnes, sed tantum levioris momenti controversiæ, ad hunc graviore omnes discutiendæ referebantur. Si quis cum altero manus conseruisset, eumque læsisset, de hoc advocatus proprius judicabat. At vero si inter pugnandum aut manus amputata, aut homicidium esset commissum, ad Advocatum Regium id omne dijudicandum spectabat. Ut non obscure innuit præclarum diploma illud quo Waldenarus Danorum, Slavorumque Rex anno MCCCXXIV, Hardervicensibus, varias, in Scania, quod ad halecum piscationem, & mercaturam inibi exercendam attinet, immunitates indulgit.

*Waldenarus Dei Gratia Danorum*